

CALENDARIUM

PRO CELEBRATIONE MISSAE
ET LITURGIAE HORARUM

AD USUM
FRATRUM MINORUM
CUSTODIAE TERRAE SANCTAE
(a fr. Henrico Bermejo Cabrera confectum)

PRO ANNO LITURGICO

2004-2005

(A - I)



HIEROSOLYMIS
2004

Fr. PETRUS BAPTISTA PIZZABALLA
ORDINIS FRATRUM MINORUM
TERRAE SANCTAE CUSTOS

DECRETUM

Quum Calendarium Romano-Seraphicum in usum huius Nostrae Almae Custodiae Terrae Sanctae pro anno Liturgico 2004-2005 a Fr. Henrico Bermejo Cabrera iuxta Calendarium perpetuum Ordinis Nostri concinatum et recensioribus Decretis Apostolicae Sedis pro recta celebratione Liturgiae Horarum et Missae conforme repertum fuerit, Nos, vigore praesentium, facultatem facimus illud, servatis servandis, typis edendi.

Datum Hierosolymis, e conventu Ss. Salvatoris die 4 octobris 2004.



Fr. Petrus Baptista Pizzaballa, ofm
Custos T. S.

De mandato P. S. Reverendissimae

Fr. STEPHANUS MILOVICH
Secretarius Custodialis

PRO CALENDARIO ANNI LITURGICI 2004 - 2005

Celebrationes mobiles

Domenica I Adventus	28 nov.
Sanctae Familiae	26 dec.
Epiphania Domini	6 ian.
— ubi in dominicam transfertur	2 ian.
Baptisma Domini	9 ian.
Dies Cinerum	9 feb.
Dominica Resurrectionis	27 mar.
Ascensio Domini	5 maii
— ubi in dominicam transfertur	8 maii
Dominica Pentecostes	15 maii
Ss.mae Trinitatis	22 maii
Ss.mi Corporis et Sanguinis Christi	26 maii
— ubi in dominicam transfertur	29 maii
Ss.mi Cordis Iesu	3 iunii
D.N.I.C. universorum Regis	20 nov.

Iuxta traditum morem, hae celebrationes mobiles fidelibus annuntiari possunt in sollemnitate Epiphaniae, intra Missarum sollemnia, post Evangelium (cf. *Missale Romanum*, p. 1247).

Festa de praecepto in Dioecesi Hierosolymitana

- | | |
|-----------------------|-----------------------|
| 1. Nativitatis Domini | 3. Ascensio Domini |
| 2. Epiphania Domini | 4. Assumptio B. M. V. |

De Lectionario adhibendo

Lectionarium dominicale-festivum: **Cyclus A.**
 Lectionarium feriale « per annum »: prima lectio sumitur e **Serie I.**

Tempus « per annum »

Anno 2005 tempus « per annum » complectitur 33 hebdomadas, quarum 5 celebrantur ante Quadragesimam, a die 10 ianuarii, feria II post festum Baptismatis Domini, usque ad diem 8 februarii, feriam III ante Cineres. Post Pentecosten tempus « per annum » resumitur ab hebdomada VII, omissa VI, die 6 iunii, feria II post dominicam Pentecostes.

TABULA DIERUM LITURGICORUM secundum ordinem praecedentiae disposita (AC 59)

I

1. Triduum paschale Passionis et Resurrectionis Domini.
2. Nativitas Domini, Epiphania, Ascensio et Pentecostes.
 Dominicae Adventus, Quadragesimae et Paschae.
 Feria IV Cinerum.
 Feriae Hebdomadae sanctae, a feria II ad feriam V inclusive.
 Dies infra octavam Paschae.
3. Sollemnitates Domini, beatae Mariae Virginis et Sanctorum in calendario generali inscriptae.
 Commemoratio omnium fidelium defunctorum.
4. Sollemnitates propriae, nempe:
 - a) Sollemnitas Patroni principalis loci seu oppidi aut civitatis (*celebratio peragenda etiam a Religiosis*).
 - b) Sollemnitas Dicationis et anniversarii Dicationis ecclesiae propriae.

c) Sollemnitas Tituli ecclesiae propriae.

d) Sollemnitas aut Tituli, aut Fundatoris, aut Patroni principalis Ordinis seu Congregationis (*ex his celebrationibus, una tantum tamquam sollemnitas in calendario inscribitur; reliquae duae ut festa agendaee sunt. Si Fundator sit tantum beatus, ut festum recolitur: CP 12b*).

II

5. Festa Domini in calendario generali inscripta.

6. Dominicae temporis Nativitatis et dominicae « per annum ».

7. Festa beatae Mariae Virginis et Sanctorum calendarii generalis.

8. Festa propria, nempe:

a) Festum Patroni principalis dioecesis (*rationibus pastoralibus suadentibus, fieri potest sollemnitas: CP 8, 9; celebratio peragenda etiam a Religiosis*).

b) Festum anniversarii Dedicationis ecclesiae cathedralis (*etiam a Religiosis*).

c) Festum Patroni principalis regionis aut provinciae, nationis, amplioris territorii (CP 8, 9; *etiam a Religiosis*).

d) Festum Tituli, Fundatoris, Patroni principalis Ordinis seu Congregationis et provinciae religiosae, salvis praescriptis sub n. 4d.

e) Alia festa alicui ecclesiae propria.

f) Alia festa inscripta in calendario cuiusque dioecesis vel Ordinis seu Congregationis.

9. Ferae Adventus a die 17 ad 24 decembris inclusive. Dies infra octavam Nativitatis. Ferae Quadragesimae.

III

10. Memoriae obligatoriae calendarii generalis.

11. Memoriae obligatoriae propriae, nempe:

a) Memoriae Patroni secundarii loci, dioecesis, regionis aut provinciae religiosae.

b) Aliae memoriae obligatoriae inscriptae in calendario cuiusque dioecesis, vel Ordinis seu Congregationis (*in qualibet ecclesia vel oratorio, celebranda est memoria Sancti vel Beati [in Martyrologio vel eius appendice inscripti] cuius corpus ibidem asservatur: CP 11*).

12. Memoriae ad libitum (*memoria propria praeferenda est memoriae generali non obligatoriae: CP 23 c*), quae tamen, modo quidem peculiari in Institutionibus generalibus Missalis Romani et de Liturgia Horarum descripto, fieri possunt etiam diebus de quibus sub n. 9 (IH 237-239; IM 316 a. Cf. infra). Hac eadem ratione, ut memoriae ad libitum celebrari possunt memoriae obligatoriae, quae accidentaliter occurrunt in feriis Quadragesimae.

13. Feriae Adventus usque ad diem 16 decembris inclusive.

Feriae temporis Nativitatis a die 2 ianuarii ad sabbatum post Epiphaniam.

Feriae temporis paschalis a feria II post octavam Paschae ad sabbatum ante Pentecosten inclusive.

Feriae per annum.

DE ANNO LITURGICO ET DE CALENDARIO

Dies liturgici

1. *Dies liturgicus* decurrit a media nocte ad mediam noctem. Celebratio vero dominicae et sollemnitatum incipit iam vespere diei praecedentis (AC 3).

2. *Dominica* uti primordialis dies festus haberi debet (AC 4). Propter suum peculiare momentum, dominica suam cedit celebrationem solummodo sollemnitatibus necnon festis Domini; dominicae vero Adventus, Quadragesimae et Paschae super omnia festa Domini et super omnes sollemnitates praecedentiam habent. Sollemnitates autem in his dominicis occurrentes ad alium diem transferuntur, iuxta ea quae infra, n. 10, dicuntur.

3. *Sollemnitates* inter dies praecipuos adnumerantur, quorum celebratio incipit a I Vesperis, die praecedenti. Nonnullae sollemnitates etiam Missa

propria vigiliae ditantur, vespere diei praecedentis adhibenda, si Missa horis vespertinis celebratur (AC 11).

4. *Festa* inter fines diei naturalis celebrantur; proinde non habent I Vesperas, nisi de festis Domini agatur quae in dominicis per annum et tempore Nativitatis occurrunt et pro earum Officio substituuntur (AC 13).

5. *Memoriae* sunt obligatoriae vel ad libitum; earum autem celebratio cum celebratione feriae occurrentis componitur secundum normas, quae in Institutionibus generalibus Missalis Romani et de Liturgia Horarum exponuntur.

Memoriae vero obligatoriae, quae occurrunt in feriis Quadragesimae, solummodo tamquam memoriae ad libitum celebrari possunt (IH 237-239; IM 355 a).

Si eodem die plures inscribuntur in calendario memoriae ad libitum, una tantum celebrari potest, omissis ceteris (AC 14).

6. In *sabbatis* per annum, in quibus non occurrat memoria obligatoria, fieri potest memoria ad libitum de beata Mariae Virgine (AC 15).

7. Hebdomadae dies, qui post dominicam decurrunt, *feriae* nuncupantur; diversa tamen ratione celebrantur, iuxta momentum ipsis proprium (AC 16).

Rogationes et Quattuor Tempora

8. In Rogationibus et Quattuor anni Temporibus, Ecclesia solet pro variis hominum necessitatibus, imprimis vero pro fructibus terrae et hominum laboribus, Dominum exorare, eique publice gratias referre. Ut Rogationes et Quattuor anni Tempora diversis locorum et fidelium necessitatibus aptari possint, quoad tempus et rationem illa celebrandi a conferentiis Episcoporum ordinentur oportet. De eorum proinde amplitudine celebrationis, per unum vel plures dies protrahendae, de eorum iteratione per anni decursum, normae statuuntur a competenti auctoritate, attentis necessitatibus localibus. Missa pro singulis diebus harum celebrationum inter votivas eligatur, quae sit magis accommodata supplicationum proposito (AC 45-47).

Occurrentia celebrationum liturgicarum

9. Si eodem die plures celebrationes occurrunt, fit de ea quae in tabula dierum liturgicorum, supra relata, superiorem obtinet locum (AC 60).

10. Si quodam anno sollemnitas impediatur, ad proximiorum diem transferatur qui liber sit a diebus sub nn. 1-8 in tabula praecedentiae recensitis (AC 60). Attamen si sollemnitas a dominica Adventus vel Quadragesimae vel Paschae impediatur, ad feriam secundam sequentem aut in proximiorum diem liberum, secundum normam generalem transfertur. Si vero agatur de occurrentia in dominica in Palmis aut in dominica Resurrectionis, transfertur ad primum diem liberum, post dominicam in octava Paschae (*Congr. de Cultu Divino*, 22 apr. 1990: *Not.* 26[1990]160). Reliquae celebrationes impeditae eo anno omittuntur (AC 60).

11. Si vero eodem die celebrandae sint Vesperae Officii occurrentis et I Vesperae diei sequentis, praevalent Vesperae celebrationis quae in tabula dierum liturgicorum superiorem obtinet locum; in casu autem paritatis, Vesperae diei currentis (AC 61).

« Celebratio externa »

12. Ad bonum pastorale fidelium procurandum, in dominicis « per annum », licet eas celebrationes agere, quae infra hebdomadam occurrunt, quaeque ipsorum fidelium pietati sunt acceptae, dummodo hae in tabula praecedentiae ipsi dominicae praeponantur. De his celebrationibus dici possunt omnes Missae, quae concurrente populo celebrantur (AC 58).

DE CELEBRATIONE EUCHARISTICA

De diversis formis Missam celebrandi

De Missa cui praeest Episcopus

1. In Ecclesia particulari primus locus tribuatur Missae cui praeest Episcopus a suo presbyterio et ministris circumdatus et in qua plebs sancta Dei plene et actuose participat. Ibi enim habetur praecipua manifestatio Ecclesiae (IM 112).

De Missa paroeciali

2. Magni etiam habeatur Missa quae cum aliqua communitate, praesertim vero paroeciali, celebratur, utpote quae Ecclesiam universalem repraesentet tempore et loco statutis, praecipue in celebratione dominicali (IM 113).

De Missa conventuali vel communitatis

3. Inter Missas quae ab aliquibus communitatibus celebrantur, peculiarem locum obtinet Missa conventualis, quae pars est Officii cotidiani, aut Missa, quae « Communitatis » dicitur. Et quamvis hae Missae nullam specialem formam celebrationis prae se ferant, maxime tamen decet eas cum cantu fieri, praecipue cum plena participatione omnium sodalium communitatis sive religiosorum sive canonicorum. In iis proinde munus suum exerceant singuli iuxta ordinem vel ministerium receptum.

Expedi ideo ut omnes sacerdotes qui pro utilitate pastoralis fidelium singulariter celebrare non tenentur, in iis, quantum fieri potest, concelebrent. Omnes insuper ad eam communitatem pertinentes sacerdotes, qui officio in bonum pastorale fidelium singulariter celebrandi tenentur, Missam quoque conventualem aut « Communitatis » eadem die concelebrare possunt. Praestat enim presbyteros, qui celebrationi eucharisticae intersunt, nisi iusta causa excusentur, munere proprii ordinis de more exercere et proinde uti concelebrentes participare, sacris vestibus indutos (IM 114).

De Missis concelebratis

4. Per Eucharistiae concelebrationem unitas sacrificii et sacerdotii opportune manifestatur, atque quoties fideles actuose participant, unitas populi Dei singulari modo apparet, praesertim si praeest Episcopus. Concelebratio insuper fraterna presbyterorum vincula significat et firmat, quia vi communis sacrae ordinationis et missionis presbyteri omnes inter se intima fraternitate nectuntur.

Quare, nisi utilitas fidelium (quae sedula pastoralis sollicitudine semper consideranda est) hoc impediatur, et integra manente cuique sacerdoti facultate Missam singularem celebrandi, praestat sacerdotes illo praeclearo modo Eucharistiam celebrare tum in communitatibus sacerdotum tum in coetibus qui statutis temporibus congregantur aliisque similibus

adiunctis. Qui in communi vivunt vel eidem ecclesiae deserviunt, peregrinos sacerdotes ad concelebrationem suam libenti animo invitent. Hinc superiores faciliorem reddant, immo foveant concelebrationem, quoties necessitas pastoralis vel alia rationabilis causa aliud non exigit (Instr. *Eucharisticum mysterium*, 47).

De Missa pro populo

5. Parochus, post captam paroeciae possessionem, obligatione tenetur, singulis diebus dominicis atque festis in sua dioecesi de praecepto, Missam pro populo sibi commissio applicandi; qui vero ab hac celebratione legitime impediatur, iisdem diebus per alium aut aliis diebus per se ipse applicet.

Parochus, qui plurium paroeciarum curam habet, diebus de quibus supra, unam tantum Missam pro universo sibi commissio populo applicare tenetur (CIC can. 534). Attamen

in Dioecesi Hierosolymitana et Vicariatus Apostolicus Aleppensis:

« Vigore Rescripti No. 210/84, die 29 mensis Aprilis 1986, a S. C. pro Ecclesiis Orientalibus dati, omnes parochi, utriusque Cleri, dioecesis Hierosolymitanae, post captam paroeciae possessionem, TENENTUR Missam applicare pro populo sequentibus sollempnitatibus:

Nativitatis Domini	Immaculatae Conceptionis B.V.M.
--------------------	---------------------------------

Epiphaniae	Assumptionis B.V.M.
------------	---------------------

Paschatis	Sancti Joseph, sponsi B.V.M.
-----------	------------------------------

Ascensionis	Sanctorum App. Petri et Pauli
-------------	-------------------------------

Pentecostes	Omnium Sanctorum.
-------------	-------------------

Sanctissimi Corporis Christi

SUADENTUR autem frequentius Missam pro populo applicari, prae-sertim: diebus dominicis, in festo Titularis Ecclesiae paroecialis.

Datum Hierosolimis, die I^a Augusti A.D. 1986.

✠ Jacobus Joseph, Patriarcha »

(Pro Vicariatu Apostolico Aleppensi, Cfr. Indultum Sac. Congr. pro Eccl. Orient., Prot. n. 571/68)

1.	Sollemnitates de praecepto	V1	–				
		D1	–				
2.	Dominicæ Adventus, Quadragesimæ et Paschæ	V1	–				
		D1	–				
3.	Triduum paschale et Feria V Hebd. S.	V1	–				
		D1	–				
4.	Sollemnitates non de praecepto. Comm. omnium fidelium defunctorum	V1	–				
		D1	+				
5.	Feria IV Cinerum, Feriæ II, III, IV Hebd. S.	V1	–				
		D1	+				
6.	Dies infra octavam Paschæ	V1	–				
		D1	+				
7.	Dominicæ temporis Nativitatis et « per annum »	V1	+	V2	–		
		D1	+	D2	–		
8.	Festa	V1	+	V2	–		
		D1	+	D2	–		
9.	Feriæ Adventus a 17 ad 24 decembris	V1	+	V2	–		
		D1	+	D2	+		
10.	Dies infra octavam Nativitatis	V1	+	V2	–		
		D1	+	D2	+		
11.	Feriæ Quadragesimæ	V1	+	V2	–		
		D1	+	D2	+		
12.	Memoriæ obligatoriæ	V1	+	V2	+		
		D1	+	D2	+		
13.	Feriæ Adventus usque ad 16 decembris	V1	+	V2	+		
		D1	+	D2	+		
14.	Feriæ temporis Nativitatis a 2 ianuarii	V1	+	V2	+		
		D1	+	D2	+		
15.	Feriæ temporis paschalis	V1	+	V2	+		
		D1	+	D2	+		
16.	Feriæ « per annum »	V1	+	V2	+	V3	+
		D1	+	D2	+	D3	+

De Missa eligenda
(IM 314-316, 323)

7. In sollemnitatibus, sacerdos Missam eligit iuxta calendarium ecclesiae in qua celebrat.

8. In dominicis, in feriis Adventus, Nativitatis, Quadragesimae et Paschae, in festis et memoriis obligatoriis:

a) si Missam celebrat cum populo, sacerdos sequitur calendarium ecclesiae in qua celebrat;

b) si Missam celebrat sine populo, sacerdos sequi potest aut calendarium ecclesiae aut calendarium proprium.

9. In memoriis ad libitum:

a) In feriis Adventus a die 17 ad 24 decembris, diebus infra octavam Nativitatis et in feriis Quadragesimae, exceptis IV Cinerum et Hebdomadae sanctae, sacerdos dicit Missam de die occurrente; de memoria autem in calendario generali eo die inscripta sumere potest collectam, nisi occurrat feria IV Cinerum aut feria Hebdomadae sanctae.

b) In feriis Adventus ante diem 17 decembris, in feriis temporis Nativitatis a die 2 ianuarii et in feriis temporis Paschalis, sacerdos eligere potest aut Missam de feria, aut Missam de Sancto de quo fiat memoria, aut eo die in Martyrologio inscripto.

10. In feriis « per annum », seligi potest:

a) aut una ex 34 missis dominicarum « per annum »; in ea tamen orationes sumi possunt ex alia dominica « per annum » vel ex orationibus pro variis necessitatibus (IM 323).

b) aut Missa de aliquo Sancto eo die uti memoria ad libitum in calendario proposito, vel eo ipso die in Martyrologio inscripto;

c) aut Missa pro variis necessitatibus vel votiva;

d) aut quaevis Missa defunctorum; Missa tamen cotidiana tunc solummodo dici potest, si pro defunctis applicanda est.

Si celebrat cum populo, sacerdos imprimis bono spirituali fidelium studebit, et cavebit ne iis suam propensionem imponat. Curabit praecipue ne frequentius et sine sufficiente causa lectiones omittat singulis diebus assignatas in lectionario feriali. Ecclesia enim cupit ut ditior mensa verbi Dei paretur fidelibus.

Ob eandem causam moderate sumet Missas defunctorum: quaelibet enim Missa tam pro vivis quam pro defunctis offertur, et in omni Prece eucharistica memoria defunctorum habetur.

Ubi autem fidelibus cordi sunt memoriae ad libitum beatæ Mariæ Virginis vel Sanctorum, una saltem Missa de his celebretur, ut satisfiat legitimæ eorum pietati (IM 316).

De Missis et orationibus ad diversa et votivis

(IM 326-334)

11. Perspecta ampliore facultate eligendi lectiones et orationes, expedit ut Missæ ad diversa moderate, idest quando opportunitas id exigit, adhibeantur.

12. In his Missis, nisi aliter expresse caveatur, licet adhibere lectiones feriales, necnon cantus inter ipsas occurrentes, si cum celebratione conveniant.

13. Missæ rituales, seu quæ cum celebratione quorundam sacramentorum et sacramentalium conectuntur, prohibentur in dominicis Adventus, Quadragesimæ et Paschæ, in sollemnitatibus, in diebus infra octavam Paschæ, in Commemoratione omnium fidelium defunctorum et in feriis IV Cinerum et Hebdomadæ sanctæ, servatis insuper normis quæ in libris ritualibus vel in ipsis Missis exponuntur.

14. Ad Missas pro variis necessitatibus et votivas quod attinet, hæc animadvertantur:

a) Missa pro aliqua graviore necessitate vel utilitate pastorali celebrari potest, de mandato vel licentia Ordinarii loci, omnibus diebus, exceptis sollemnitatibus, dominicis Adventus, Quadragesimæ et Paschæ diebus infra octavam Paschæ, Commemoratione omnium fidelium defunctorum et feriis IV Cinerum et Hebdomadæ sanctæ.

b) Missa pro aliqua vera necessitate aut utilitate pastorali cum populo celebrari potest, de iudicio rectoris ecclesiæ vel ipsius sacerdotis celebrantis, etiam, diebus quibus occurrit memoria obligatoria aut feria Adventus usque ad diem 16 decembris, temporis Nativitatis a die 2 ianuarii, et temporis paschalis post octavam Paschatis, in quibus Missæ votivæ prohibentur.

c) Missae et orationes ad diversa et votivae, quae pro fidelium pietate libere eligendae proponuntur adhiberi possunt tantummodo in feriis per annum, in quibus non occurrit memoria obligatoria. De iisdem tamen Missis adhiberi possunt etiam solummodo orationes in Missa feriae currentis, retentis lectionibus feriae assignatis (IM 323, 334, 319).

De Missa « Pro sponsis »

15. Quoties Matrimonium intra Missam celebratur, adhibetur, cum sacris vestibus coloris albi vel festivi, Missa ritualis « pro sponsis ». Occurrentibus vero diebus, qui sub nn. 1-4 tabulae dierum liturgicorum recensentur, adhibetur Missa de die cum suis lectionibus, retentis in ea benedictione nuptiali, atque, pro opportunitate, formula benedictionis finalis propria.

Si tamen, tempore Nativitatis et per annum, Missa, in qua dominica die Matrimonium celebratur, a communitate paroeciali participatur, adhibetur Missa de dominica.

Attamen, cum liturgia verbi celebrationi Matrimonii aptata magnam vim habeat in catechesi de ipso Sacramento et de muneribus coniugum tradenda, quando Missa « pro sponsis » non dicitur, una e lectionibus sumi potest e textibus pro celebratione Matrimonii praevisis (*Ordo celebrandi Matrimonium* 34).

16. Si matrimonium celebretur die indolem paenitentialem prae se ferente, paesertim tempore Quadragesimae, parochus sponsos moneat ut rationem habeant peculiaris naturae illius diei. Celebratio Matrimonii feria sexta in Passione Domini et Sabbato Sancto omnino vitetur (*Ordo celebrandi Matrimonium* 32).

De anniversariis Papae, Episcopi et propriae Ordinationis sacerdotalis

17. In feriis per annum dici potest Missa de his anniversariis vel tantum orationes aut collecta. Insuper, si utilitas fidelium id suadeat, Missa pro his circumstantiis dici potest etiam aliis diebus, secundum ea quae supra dicta sunt, de Missis et orationibus pro variis necessitatibus et votivis (n. 14). Praestat vero ut de his anniversariis mentio peculiaris habeatur in oratione fidelium.

De Missis defunctorum

(IM 335-341)

18. Missa exsequialis primum locum tenet inter Missas defunctorum, et celebrari potest omnibus diebus, exceptis sollemnitatibus de praecepto, feria V Hebdomadae sanctae, Triduo paschali et dominicis Adventus, Quadragesimae et Paschae.

19. Si Missa exsequialis directo conecitur cum ritu exsequiarum, dicta oratione post communionem, et omissio ritus conclusionis, fit ritus ultimae commendationis et valedictionis; qui ritus non nisi praesente cadavere celebratur. Ergo, absente cadavere, castrum doloris vel tapetum funebre non amplius permittuntur. Apud feretrum laudabiliter cereus paschalis accenditur.

20. Post acceptum mortis nuntium, in ultima sepultura defuncti, in *primo* anniversario ab obitu, Missa defunctorum dici potest etiam diebus infra octavam Nativitatis, et diebus quibus occurrit memoria obligatoria, vel feria, quae non sit IV Cinerum vel Hebdomadae sanctae.

21. Missae cotidianae defunctorum, nisi vera utilitas fidelium id requirat, permittuntur solummodo in feriis « per annum », in quibus occurrunt memoriae ad libitum vel fit officium de feria, dummodo pro defunctis revera applicentur.

22. In eligendis et ordinandis iis partibus Missae pro defunctis, praesertim Missae exsequialis, quae variari possunt (ex. gr. orationibus, lectionibus, oratione universali), prae oculis habeantur, ut par est, rationes pastorales, quoad defunctum, eius familiam et astantes.

23. In Missis defunctorum color violaceus colori nigro praefertur. Altaria floribus ne ornentur. Sonus organi et aliorum instrumentum permittitur tantum ad cantum sustentandum (*Caer. Episc.*, n. 252).

Animadvertenda circa nonnullas partes celebrationis

24. *Gloria* dicitur diebus dominicis extra Adventum et Quadragesimam, in sollemnitatibus et festis, et in peculiaribus celebrationibus sollemnioribus (IM 31). Non dicitur proinde in feriis, ne temporis quidem Nativitatis aut Paschae, neque in memoriis.

25. *Collecta* est semper unica (quod valet etiam de oratione super oblata et post communionem).

Supplicationes pro aliqua occurrente necessitate, vel memoria alicuius anniversarii, fiat in oratione fidelium.

26. In *lectionario feriali*, lectiones proponuntur pro singulis diebus cuiusque hebdomadae per universum cursum anni: proinde hae lectiones plerumque sumuntur diebus quibus sunt assignatae, nisi occurrat sollemnitas vel festum vel memoria lectiones proprias (i. e. quae de mysterio vel Sancto loquantur) habens.

Si tamen aliquando lectio continua in hebdomada intermittitur ob aliquod festum vel aliquam peculiarem celebrationem, sacerdoti licebit, prae oculis habita ordinatione lectionum totius hebdomadae, aut partes omittendas una cum aliis componere aut statuere quinam textus aliis praeferendi sint. In Missis pro peculiaribus coetibus, sacerdoti licebit textus peculiari celebrationi aptiores eligere, dummodo ex approbati lectionarii textibus seligantur (IM 319).

27. *Symbolum* dicendum est diebus dominicis et in sollemnitatibus; dici potest etiam in peculiaribus celebrationibus sollemnioribus.

28. Normae pro singulis *precibus eucharisticis* proferendis, in ipsis precibus includuntur.

In Missis *praefationem* propriam habentibus, adhiberi nequit prex eucharistica quae ditata sit praefatione inseparabili, i.e. quae unitatem efformet cum toto textu precis eucharisticae: quod occurrere potest, praeterquam in IV PE, etiam in aliis, Ecclesiis particularibus forsitan concessis.

29. Fideles sacram *communionem* recipiunt post communionem ipsius sacerdotis. Valde convenit, ut fideles ex hostiis in eadem Missa consecratis Corpus Dominicum sumant et in casibus praevisis calicem participant, quo etiam per signa communio melius appareat participatio sacrificii, quod actu celebratur (IM 56h, 241-242).

Fideles, qui sanctissimam Eucharistiam iam receperunt, possunt eam eodem die iterum, idest altera tantum vice, sumere, intra aliam celebrationem eucharisticam quam participant (cf. CIC can. 917 et respectivam interpretationem autenticam diei 26.VI.1984).

DE LITURGIA HORARUM

De Liturgiae Horarum obligatione

1. Episcopi et presbyteri, aliique ministri sacri, qui mandatum ab Ecclesia acceperunt Liturgiam Horarum celebrandi, integrum eius cursum cotidie persolvant, horarum veritate, quantum fieri potest servata.

Debitum in primis momentum tribuant Horis, quae huiusmodi Liturgiae sunt veluti cardo, idest Laudibus matutinis et Vesperis, caveantque ne has Horas omittant nisi gravi de causa.

Officium quoque lectionis, quod est potissimum celebratio liturgica verbi Dei, fideliter peragant; ita munus peculiari ratione sibi proprium, verbum Dei in seipsos recipiendi, cotidie adimplent, quo perfectiores fiant Domini discipuli et profundius sapiant investigabiles divitias Christi.

Quo melius totum diem sanctificent, cordi insuper ipsis erit recitatio Horae mediae et Completorii, quo ante cubitum integrum Opus Dei perficiant seseque Deo commendent (IH 29).

2. Capitula cathedralia et collegialia illas partes Liturgiae Horarum in choro persolvere debent, quae iis iure universali vel proprio imponuntur.

Singuli vero horum Capitulorum sodales, praeter horas, quae omnibus sacrorum administris persolvendae sunt, illas Horas soli recitare debent, quae in eorum Capitulo persolvuntur (IH 31 *a*).

3. Communitates religiosae Liturgiae Horarum adstrictae, earumque singuli sodales, Horas celebrent ad normam iuris sui particularis, salvo praescripto circa eos qui Ordinem sacrum acceperunt.

Communitates vero choro adstrictae integrum cursum Horarum cotidie in choro persolvant, extra chorum autem sodales Horas recitent ad normam iuris proprii, salvis semper iis quae respiciunt eos qui Ordinem sacrum acceperunt (IH 31 *b*).

De ordinanda Liturgia Horarum

4. Officium in choro et in communi persolvendum est iuxta calendarium proprium, scilicet dioecesis vel familiae religiosae vel singularum ecclesiarum (IH 241; AC 52 c).

In celebratione quae a solo fit, servari potest aut calendarium loci aut calendarium proprium, praeterquam in sollemnitatibus et festis propriis (IH 243).

5. IN DOMINICIS (IH 204-207)

a) Omnia dicuntur ut in Ordinario, in Psalterio et in Proprio, secundum temporum diversitatem.

b) Dicuntur I et II Vesperae.

c) In Officio Lectionis, post lectionem alteram cum suo responsorio, dicitur *Te Deum*, quadragesimali tempore excepto.

6. IN SOLLEMNITATIBUS (IH 225-230)

a) Ad I Vesperas: omnia ut in Proprio vel Communi.

b) Completorium subsequens: de dominica post I Vesperas.

c) Ad Officium Lectionis: omnia ut in Proprio vel Communi; semper dicitur *Te Deum*.

d) Ad Laudes Matutinas: omnia e Proprio vel Communi, cum psalmis dominicae hebdomadae I.

e) Ad Tertiam, Sextam et Nonam (seu ad Horam mediam):

1) hymnus ut in Ordinario;

2) antiphona, lectio brevis, versus et oratio ut in Proprio vel Communi;

3) psalmodia:

— si sollemnitati psalmi proprii assignantur, iidem dicendi sunt ad unam ex his Horis; qui ceteras duas Horas persolvunt, psalmos sumant e serie complementari (quae in fine Psalterii exstat);

— si sollemnitas psalmis propriis careat et in dominica occurrat, ad unam ex his Horis psalmi dominicae hebdomadae I dicendi sunt; qui reliquas duas Horas persolvunt, psalmodiam complementarem adhibeant;

— secus, omnes psalmi e psalmodia complementari sumuntur.

- f) Ad II Vesperas: omnia ut in Proprio vel Communi.
 g) Completorium subsequens: de dominica post II Vesperas.

7. IN FESTIS (IH 231-234)

a) I Vesperae dicuntur tantum in festis Domini universalibus quae in dominica occurrunt. Completorium subsequens de dominica post I Vesperas.

b) Ad Officium Lectionis: omnia ut in Proprio vel Communi; semper dicitur *Te Deum*.

c) Ad Laudes Matutinas: omnia ut in Proprio vel Communi, cum psalmis dominicae hebdomadae I.

d) Ad Tertiam, Sextam et Nonam (seu ad Horam mediam):

1) hymnus ut in Ordinario;

2) lectio brevis, versus et oratio ut in Proprio vel Communi;

3) ad unam ex his Horis antiphonae (nisi propriae habeantur) et psalmi de currenti hebdomadae die qui ceteras Horas persolvunt psalmodiam complementarem sumant.

e) Ad Vesperas: omnia ut in Proprio vel Communi.

f) Completorium: de currenti hebdomadae die.

8. IN MEMORIIS (IH 220, 234-236)

a) Ad Laudes Matutinas, Vesperas et Officium Lectionis:

1) psalmi cum suis antiphonis: e feria currenti;

N.B. Si memoria antiphonis propriis gaudeat pro Laudibus, hae adhibeantur cum psalmis dominicae hebdomadae I; si antiphonis propriis pro Vesperis fruatur, hae adhibeantur cum psalmis de Communi.

2) antiphona ad invitatorium, hymni, lectiones breves cum suo versu, antiphonae ad *Benedictus* et *Magnificat*, preces:

— si propria assignatur, dicenda sunt de memoria;

— secus eligi possunt e feria vel Communi;

3) oratio semper de memoria.

b) Ad Officium Lectionis:

1) lectio biblica cum suo responsorio est de Tempore currenti;

2) lectio altera est hagiographica, cum responsorio proprio vel de Communi; si lectio hagiographica propria deest, dicitur lectio patristica feriae currentis;

3) numquam dicitur *Te Deum*.

c) Ad Tertiam, Sextam et Nonam (seu ad Horam mediam) et ad Completorium: omnia de feria currenti.

9. IN FERIIS

a) Omnia dicuntur ut in Ordinario, in Psalterio et in Proprio, secundum Temporum diversitatem.

b) Ad Officium lectionis numquam dicitur *Te Deum*.

c) Oratio ad Officium lectionis e Proprio sumitur; in ceteris Horis, tempore per annum e Psalterio, aliis vero temporibus e Proprio.

De memoriis quae celebratione plena privantur

(IH 237-239; IM 316a)

10. Memoriae quae diebus a 17 ad 31 decembris et feriis Quadragesimae occurrunt (exclusis feria IV Cinerum et Hebdomada sancta), hoc modo celebrari possunt:

a) In Officio Lectionis, post lectionem e Patribus in Proprio de Tempore cum suo responsorio, addatur lectio hagiografica propria cum suo responsorio et oratione de Sancto.

b) Ad Laudes Matutinas et Vesperas, post orationem, ommissa conclusione, addantur antiphona et oratio de Sancto.

c) Ad Missam diei currentis dici potest collecta de Sancto, qui in calendario generali inscribitur.

DE DIEBUS PAENITENTIAE

(Codex Iuris Canonici)

Can. 1250 - Dies et tempora paenitentialia in universa Ecclesia sunt singulae feriae sextae totius anni et tempus Quadragesimae.

Can. 1251 - Abstinencia a carnis comestione vel ab alio cibo iuxta conferentiae Episcoporum praescripta, servetur singulis anni sextis feriis, nisi cum aliquo die inter sollemnitates recensito occurrant; abstinencia vero et ieiunium, feria quarta Cinerum et feria sexta in Passione et Morte Domini Nostri Iesu Christi.

Can. 1252 - Lege abstinenciae tenentur qui decimum quartum aetatis annum expleverint; lege vero ieiunii adstringuntur omnes aetate maiores usque ad annum inceptum sexagesimum. Curent tamen animarum pastores et parentes ut etiam ii qui, ratione minoris aetatis ad legem ieiunii et abstinenciae non tenentur, ad genuinum paenitenciae sensum informentur.

Can. 1253 - Episcoporum conferentia potest pressius determinare observantiam ieiunii et abstinenciae, necnon alias formas paenitenciae, praesertim opera caritatis et exercitationes pietatis, ex toto vel ex parte pro abstinencia et ieiunio substituere.

EXPLICATIO ABBREVIATIONUM

✠	Missa de praecepto servanda		Missae Votivae in Sanctuariis Custodiae Terrae Sanctae
A.	Abbas		Terrae Sanctae
AC	Normae de Anno liturgico et Calendario	oct.	octava
Adv.	Adventus	Off.	Officium
alb.	albus	om.	omittitur, omittuntur
ant.	antiphona, ae	or.	oratio
Ap. App.	Apostolus, i	Ord.	Ordinarium divini Officii
B. Bb.	Beatus, i	ORD.	Ordo
<i>Ben.</i>	canticum <i>Benedictus</i>	patr.	patronus, i
B.V.M.	Beata Virgo Maria	P.	Presbyter
CIC	Codex Iuris Canonici	Pass.	Passio
Co.	Commune Sanctorum	PE	Prex eucharistica
<i>Comm.</i>	<i>Communicantes</i>	pf.	praefatio
CP	Instructio de calendariis propriis	Pp.	Papa
Cp.	Completorium	Pr.	Proprium de Tempore vel Sanctorum
D.	Doctor	pr.	proprius
dic.	dicitur, dicuntur	proph.	propheta
dioec.	dioecesis	ps. pss.	psalmus, psalmi
dom.	dominica, ae	Psalt.	Psalterium
E.	Episcopus, i	Quadr.	Quadragesima
Eccl.	Ecclesia	Rel.	Religiosus, a
Epiph.	Epiphania	rel.	reliqua
ev.	evangelium	rom.	romanus
hebd.	hebdomada	R. RR.	responsorium, responsoria
H.M.	Hora Media	rub.	ruber
IH	Institutio generalis de Liturgia Horarum	S. Ss.	Sanctus, i
IM	Institutio generalis Missalis Romani	Scr.	Scriptura
Ld.	Laudes matutinae	Seq.	Sequentia
lect.	lectio, lectiones	seq.	sequens, sequentis
LH	Liturgia Horarum	soll.	sollemnitas
<i>Magn</i>	canticum <i>Magnificat</i>	Ss.mus	Sanctissimus
M. Mm.	Martyr, Martyres	temp.	tempus
Miss. F.	Missale Franciscanum	Tit. Eccl.	Titularis Ecclesiae
Miss. R.	Missale Romanum	V.	Virgo
Miss.V.S. C.T.S:		viol.	violaceus
		vir.	viridis
		Vp.	Vesperae

INDEX SIGLORUM TEXTUM S. SCRIPTURAE

Abd	Liber Abdiae	Lc	Evang. sec. Lucam
Act	Actus Apostolorum	Lev	Liber Leviticus
Ag	Liber Aggaei	1 et 2 Mac	I-II Maccabaeorum
Am	Liber Amos	Mal	Liber Malachiae
Ap	Apocalypsis	Mc	Evang. sec. Marcum
Bar	Liber Baruch	Mic	Liber Michaeae
Cant	Canticum canticorum	Mt	Ev. sec. Matthaeum
1 et 2 Chr		Nah	Liber Nahum
	I et II Chronicorum	Neh	Liber Nehemiae (II Esdrae)
Col	Ep. ad Colossenses	Num	Liber Numeri
1 et 2 Cor	Ep. ad Corinthios	Os	Liber Osee
Dan	Liber Danielis	1 et 2 Petr	Epistolae I et II Petri
Deut	Liber Deuteronomii	Phil	Ep. ad Philippenses
Eph	Epistola ad Ephesios	Phm	Ep. ad Philemon
Esd	Liber Esdrae	Prov	Liber Proverbiorum
Est	Liber Esther	Ps	Liber Psalmorum
Ex	Liber Exodus	Qoh	Liber Qohelet
Ez	Liber Ezechielis	1 et 2 Reg.	
Gal	Epistola ad Galatas		Libri I et II Regum
Gen	Liber Genesis	Rom	Epistola ad Romanos
Hab	Liber Habacuc	Rut	Liber Ruth
Hebr	Epistola ad Hebraeos	1 et 2 Sam	
Iac	Epistola Iacobi		Libri I et II Samuelis
Ier	Liber Ieremiae	Sap.	Liber Sapientiae
Io	Evang. sec. Ioannem	Sir	Liber Siracidae
1, 2 et 3 Io	Ep. I, II, III Ioannis	Soph	Liber Sophoniae
Iob	Liber Iob	1 et 2 Th	Ep. I et II ad Thessalonicenses
Ioel	Liber Ioelis		
Ion	Liber Ionas	1 et 2 Tim	
Ios	Liber Iosue		Ep. I et II ad Timotheum
Is	Liber Isaiae	Tit	Epistola ad Titum
Iud	Epistola Iudae	Tob	Liber Tobiae
Iudic	Liber Iudicum	Zac	Liber Zachariae
Iudt	Liber Iudith		
Lam	Lamentationes		

